

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4153

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

2689

H O M I L E T I C I

2690

in loco sancto Quia in roma Tempore congruo quia in anno centesimo qui iubileus erat feliciter. quia in statu optimo, quia in statu prelacionis qui est status perfectionis &c. Cetera omnia in locos communes abeunt. De Jobanne a Genstein plura Balbinus Miscell. Dec. I. L. 4. et Bob. doct. P. II. edit. Ungar. p. 139.

II. fol. 145. Continuantur varii rursus *Sermones* in quasdam *Dominicas*, *Isaiam Prophetam*, et aliqua Domini et Deiparae *Festa*, quos non dubito eidem *Conrado Stecken* adscribendos esse. Missentur iis sub finem *Legendae Thomae Aquin. Cyrilli et Metudii, Gregorii M., Benedicti, Ambrosii, et Mariae Aegyptiacae*.

III. fol. 194. *Liber de duplice Milicia* hoc initio: *Duplex milicia agitur in hoc mundo vna regis babilonis alia regis iberusalem. Rex babilonis cum suis est dyabolus cum vicijs Rex iberusalem et suus exercitus est christus cum virtutibus &c. Singillatim deinceps Vitia Virtutesque iis oppositae depinguuntur; sed in fine deficit Opusculum, in cuius autore indagando operam lusi.*

IV. fol. 221. *Sermones duo, in die Adalberti uel Zygismundi et de Corpore Christi. Codicis hujus, ut plurium aliorum jam recensitorum, possessor olim fuit Sacerdos Bohemus Wenceslaus; ita enim p. 2. fol. 204. subnotavit: Rosarius Pressorovius hos sermones perlexit precipue librum de Duplice militia.*

DCCXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. 245
XV. Folior. 380. f. currente calamo per duas columnas exaratus sequentia continet: I. *Matthiae Engelschall Sermones de Festis particularibus et de Communi Sanctorum per totum annum. Praeit Index contentorum in quovis Sermone, cui superscriptum Magister Mathyas Engelschall, et subnotatum: M° CCCC XXXI. anno. Christianus Eybnerperger. Sequitur Elenchus alphab. quarundam vocum difficiliorum germanice redditarum, v. g. Abstractum gestiret, gremliczt. Accio Vurcunder chraft in der matery. Actualissimus all snellist uel all tuendist. Apprehenfio Das erst aufhaf-ten der vernunft &c. Demum suc-cedunt Sermones, quorum primus est in *Librum Generationis I. C. Matth. c. 1. Evangelium ipsum ea die legi solitum cuvis Sermoni praetextum est et quidem cum glossa interlineari prorsus ταυτολογω. Ultimus habetur in *Festum Dedicationis Ecclesiae*, cui subscri-putum: Anno &c. 27. pronuncia-tus. Extitisse Nostri etiam Ser-monē in *Evangelia dominicalia triplex* ad calcem docet clausula, quarum ultimam, utpote uberrimam, adjicio: Explicium partes tres scilicet byemalis et estivalis et de sanctis evangeliorum unacum Registro secundum breuiarium pataviniense et ratiobonense &c. pro-nunciatum per Reuerendum magistrum Mathyam Engelschall de straubing oriundum, liberalium ar-**

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4153

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

2691

C O D I C E S

2692

cium vniuersitatis pragen. magistrum pastorem parochialis ecclesie in Aycbach et redorem scolarum inferioris Altach patauen. Dyoc. Anno Domini M° CCCCXXVII. proxima feria post festum Job. ante portam latinam finitum. Martino pp. quinto presidente Sigismundo Romanorum Vngarie Bobemie &c. Rege regnante Et heresi Hussitarum in bobemia immaniter crassante Ac reportatum (id est calamo exceptum) in scolis prescriptis magistri scilicet Matbie engelschall. Nihil de hoc Postillatore fontes nostri.

II. fol. 140. sequitur absque titulo et Autoris nomine *Compendium Theologicae Veritatis* illud, cuius versionem teutonicam dedimus Cod. CCCXI. et quo Lector se referat. Initium Prologi: *Veritatis theoloyce sublimitas cum sit superni splendoris radius &c.* Operis: *Deum esse multis modis ostenditur &c.* Agitur de hoc Opere, ut monuimus, in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 470.* sed nulla ibi fit mentio operae, quam illi impedit *Thomas Dornberg de Memmyngen Decretorum artiumque liberalium doctor* Et consultatus insignis ciuitatis Spirensis aduocatus, qui multorum, ut ait, studiosorum clericorum precibus plures instigatus luculentum ei matteriarum Indicem alphabeticum praetexuit, unde factum, ut a quibusdam opus ipsum perperam ei attribueretur. Indicem hunc in editione, quam Spirensēm Petri Drach sen. censeo, f. a se anno 1473. in vigilia Sancti Bartholo-

mei Apostoli perfectum et compleatum fuisse testatur, unde rursus quidam Bibliographi eam nimis fidenter illi anno adfixere. Cum hac porro editione collatus Codex noster eam in fine libri VII. et ultimi longo quatuor paene columnarum loco ex *Anselmi Cantuar. Proslogio* depromo excedit, quem tamen fortasse non nisi Librarius adsuit. Subscriptus est illi annus 1456. et adnexus Capitum Index hoc rubro: *Incipit Registrum Summe sancti thome theologicice veritatis. Sed Hugonis Argentinensis dicere debebat, ut jam observatum ad Cod. supra cit.*

III. fol. 255. *Decem precepta Magistri Hainrici de hoffia.* Initium: *Primum preceptum est Non adorabis deos alienos &c.* Quod quidem respicit personam patris &c. Finis: *Quod vinum nobis meritis gloriose virginis Marie prestare dignetur eius filius benedictus qui cum patre &c.* Subscriptum: 1456. Cod. CCCCXV. vidimus ejusmodi *Expositionem Decalogi* inter *Henricum de Hassia et Henricum de Vrimaria* controversam, sed testimonio plurium posteriori adferendam. Itaque praesentem hanc priori cedamus.

IV. fol. 283. p. 2. *Brevior Decalogi Epitome* sine titulo, quae infit: *Preceptum Domini primum quod attinet ad deum &c.* et finit: *concupiscentiam corruptam qualemcumque.*

V. fol. 284. p. 2. *Speculum Sacerdotum*, quod incipit: *Istud est speculum clarum nobile et pretiosum ipsorum sacerdotum in quo et*

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4153

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III. Wien 1795.

2693

H O M I L E T I C I .

2694

et fulgent et representantur aliqua utilia speculanda circa baptismi eukaristie et penitentie sacramenta. Opportuna ruditum aevi illius Sacerdotum institutio minuta quaeque circa Sacramentorum administrationem persequens, data, ut ad calcem, constancie die sabbati XI. mensis decembris anno primo (1417) pontificatus nostri M (artini) quinti. Additum: 1456. Christianus Eymperger. Quae Librarii sunt; Opusculum enim ad Hermannum de Schildis Erem. Aug. pertinet, ut Cod. DCXLVI.

VI. fol. 291. absque titulo: Nicolai de Hanapis Galli O. P. Episcopi primum Aconensis, dein Patriarchae Hierosolymitani mortui a. 1291. Virtutum vitiorumque Exempla ex utroque Testamento ordine alphabetico in Titulos digesta, olim Guilelmo Peraldio erronee tributa, quin inter Bonaventurae Opera T. VII. edit. Lugd. 1668. f. p. 434. sub nomine Biblia Pauperum, mutato tamen ordine, recepta. Titulus I. De adoracione et cultu incipit: Fatum est ut offerret Cayn de fructibus terre domino &c. Ultimus de zelo indiscreto sic finit: Testimonium quidem perhibeo illis sed non secundum scientiam. Clausula: Explicet liber de exemplis sacre scripture compositus a fratre Nicolao de Hanapis ordinis predicatorum. Finis buius operis Anno domini 1456. In vigilia vigilie Natalis christi Amen. In Sachsen. Quod est oppidum Austriae super. Adiecta est Tabula Titularum, et alia

quaedam nullius momenti sequuntur. De Autore et operis nostri editionibus agitur in Scriptt. O. P. T. I. p. 422. unde observo in pluribus ibidem citatis Exemplaribus haberi Praefationem, et primum esse Caput de Miraculis, quod nobis ordine 45. est.

DCCXXXII.

Codex chartaceus lat. boh. 494 Sec. XV. Folior. 168. 4. currenti calamo scriptus est Collectio Sermonum de Festis Domini, B. V. et Sanctorum, aliquot item Dominicis initio ducto ab Adventu, et Sermone in illud Luc. I. Missus est angelus Gabriel &c. qui incipit: Aqua frigida anime sicient et nuncius bonus de terra longinqua &c. In Bohemia compositos fuisse probant cum Glossae pluriiae Gentis illius lingua interspersae, tum Nota ad fol. 69. p. 2. S. (Sacerdos Wencesl.) Rossius pressorouius babuit librum Ab anno domini 1516. et scripsit (hanc scil. Notam) 1551. In Dub (Prov. Boleslav.) Ciuitate parua. Atque hic idem, quibus Festis apta esent Evangelia Sermonesque ex iis deducti, passim marginibus adscripsit. Inter alia Evangelium in Festis Confessorum non Pontificum legi solitum, Luc. c. 12. Sint lumbi vestri praecincti &c. ridicule Evangelium Lumborum appellat. Autorem Sermonum extitisse Regno turbis Hussiticis conflagrante, ex iis fol. 39. verbis liquidum fit: Sicut et nunc multi mali christiani persequuntur multiplici